



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. III. Quam ob causam ferri possit Suspendio?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

cabimus distinguendo triplicem modum, quo possit Communitas suspendi.

ARTICULUS III.

Quam ob causam ferri possit Suspendio?

- I. Suspendio partialis potest venialem culpam præsупponere: At totalis mortalem.
- II. Totalis suspendio ob culpam alienam non incurritur: Nequit proinde propter delictum aliquorum tota Communitas suspendi relate ad functiones proprias singulorum.
- III. Potest Communitas suspendi solum relate ad functiones, quæ ad corpus Communitatis spectant.
- IV. Cur possit Communitas interdici, ita ut etiam innocentes ea censura ligentur; non vero similiter suspendi?
- V. Ob delictum præteritum suspendio ferri potest tanquam pœna vindicativa, non vero tanquam censura, & pœna medicinalis. Suspendio illa non requirit præviam monitionem, potestque oretenus imponi, e jusque violator per exercitium Ordinis Sacri non incurrit irregularitatem; Secus vero suspendio, quæ sit Censura.

I. Plura diximus huc spectantia quæst. 1. art. 4. Quare nunc breviter inquirimus; An Suspendio ferri possit ob culpam venialem, aut alienam, aut præteritam?

Quæritur primo; An pro veniali culpa possit censura Suspendionis infligi?

Respondeo cum Laym. hic, Avil., Suar. disp. 24. sect. 4., & aliis communiter contra Cajet. & Navar. apud Con., Suspendionem absolute dictam infligi non posse, nisi ob culpam mor-

talem; Cum enim sit gravis pœna, debet gravem culpam præsупponere: Suspendio vero partialis, quando est pœna levis, (ut est Suspendio ab uno electionis actu, a lucrandis una, vel altera vice distributionibus, &c.) potest propter venialem culpam infligi. Ostendimus autem cum de Censuris in genere, pœnam suspendionis totalis esse longe graviorem, quam sit excommunicatio minor; & ideo hæc tantum, non illa infligi potest pro veniali culpa.

II. Quæritur secundo; An possit quis suspendi propter culpam alienam?

Respondeo, certum omnino esse, quod possit aliquando tota aliqua Communitas suspendi propter culpam unius dumtaxat, verbi gratia, Prælati, ut diximus cum de Censuris in genere, & constat ex cap. Si Sententia, de Excommunicat. in 6. Et eodem modo potest aliqua Communitas interdici propter culpam aliquorum; in quo casu etiam innocentes videntur ligari suspendione, & interdicto propter culpam alienam: Non enim videtur absurdum ex Suar. & Hurt. diff. 9., quod innocentes, in quantum membra Communitatis sunt, per accidens participant pœnam Communitatis.

Dico tamen cum Sà V. Suspendio, Laym. cap. 3., Con. dub. 3., & aliis, censuram Suspendionis totalis proprie dictæ, quæ scilicet sit suspendio ab omnibus functionibus Ecclesiasticis, non incurri, nisi ob culpam propriam. Ratio est, quia suspendio est gravis pœna, ut diximus, quippe quæ adimit usum omnem Ecclesiasticæ potestatis; gravis autem pœna requirit culpam in eo, qui punitur, Argumento cap. 2., de constitution. ubi dicitur: Rem, que culpa caret, in damnum vocare non convenit; ergo non potest quis sine propria culpa suspendi:

S 2

Et

Et ideo quando quis propter fenestram, vel lepram suspenditur a celebratione missæ, talis suspensio non est censura, nec incurreret irregularitatem, qui sic suspensus celebraret.

Sciendum tamen, Communitatem aliquam tripliciter posse suspendi. Primo, ut suspensio afficiat corpus Communitatis secundum functiones proprias illius, non vero secundum functiones proprias singulorum. Secundo, ita ut suspendantur singulæ Personæ secundum functiones proprias ipsarum, non vero secundum functiones proprias Communitatis. Tertio, ita ut utroque modo suspendatur. Et ratio est, quia Communitas hoc triplici modo peccare potest. Hoc posito; quamvis possit primo modo suspendi Communitas propter peccatum aliquorum, immo & solius Prælati; (quod tamen Sæ loc. cit., & Laym. etiam negant) in quo casu etiam innocentes participant penam Communitatis; cum non possint exercere functiones convenientes Communitati, cujus sunt membra; sicuti filius per accidens punitur infamia patris peccantis: nihilominus propter peccatum aliquorum non potest suspendi tota Communitas secundo, aut tertio modo, ita ut etiam innocentes priventur functionibus, quæ illis ut particularibus personis conveniunt; & ideo nemo proprie suspenditur propter culpam alienam in sensu explicato, ita ut scilicet privetur non solum functionibus Ecclesiasticis, quæ sunt propriæ Communitatis, sed etiam iis, quæ propriæ sunt personæ particularis.

III. Neque dicas primo; prohibitum est excommunicare totam Communitatem, ne propter culpam aliquorum etiam innocentes excommunicentur; non est tamen prohibitum suspendere totam Communitatem; ergo signum est, posse etiam

innocentes propter aliorum culpam suspendi.

Nam respondeo, posse Communitatem suspendi primo modo propter peccatum aliquorum; in quo casu innocentes suspenduntur tantum relate ad functiones proprias Communitatis, non vero relate ad proprias singulorum: Non posse tamen Communitatem secundo, & tertio modo suspendi, nisi propter peccatum singulorum; ergo semper stat, quod suspensio proprie dicta, quæ sit suspensio totalis, & omnium functionum, tam quæ sint Communitatis, quam quæ propriæ singulorum, infligi non potest propter culpam alienam.

IV. Neque dicas secundo; Possunt interdici innocentes alicujus Communitatis propter culpam non propriam; ergo etiam suspendi.

Nam concessio antecedente, nego consequentiam. Disparitas ex Conest, quia per interdictum innocentes proprie non puniuntur, sicut nec per cessationem a divinis; sed Ecclesia ex justa causa denegat illis certa sua officia, & Clericis prohibet, ne ea ipsis impendant, quod non habet rationem pænæ, sed solum carentiam boni indebiti: Contra tamen per suspensionem, & excommunicationem habetur privatio bonorum, quæ jam possidentur, quod est pænale.

V. Quæritur tertio; An possit suspensio ferri ob delictum mere præteritum?

Respondeo cum Laym., & aliis communiter, Suspensionem, quæ sit pœna vindicativa, posse ob delictum mere præteritum ferri, non vero suspensionem, quæ sit censura, & pœna medicinalis; Hac enim Judicis canonice monitionem, & contumaciam delinquentis requirit, ut explicavimus cum de censuris in genere art. 4. quæsit. 3. Quare potest quis nulla præcedente comminatione suspen-

penfionis, nec canonica monitione, statim ob delictum prateritum suspendi ab officio, & beneficio, primo in perpetuum, & sine spe relaxationis; secundo ad tempus, puta ad triennium, vel donec satisfecerit; tertio ad beneplacitum Superioris, ita ut eo mortuo suspensio expiret; quarto ad beneplacitum Sedis, quæ nunquam moritur: Sed omnes isti modi Suspensionis non haberent rationem censuræ proprie dictæ, sed mere pœnarum spiritualium, ut notat Laym. hic ex Abbat. in cap. *Sape contingit*, num. 16. de *Appellationib.* Etenim ad rationem censuræ requiritur contumacia, atque adeo comminatio censuræ, & canonica Judicis monitio. Non negaverim tamen, quæstionem hanc esse de voce, dicendane sit censura, an non, suspensio ab officio, & beneficio, quæ mere ob delictum prateritum fertur sine prævia monitione; Nam, ut dicemus art. seq., quando violatur talis suspensio per exercitium majoris Ordinis, incurritur etiam irregularitas, dummodo in scriptis, & per modum censuræ feratur: Secus vero si superior oretenus alicui præcipiat, verbi gratia, ne celebret ob culpam aliquam prateritam; talis enim suspensio nullatenus habet rationem censuræ, sed est pura pœna vindicativa. Certum tamen est, ut notat Suar., suspensionem, si minus ut censuram, saltem ut pœnam delicti ferri posse sine prævia monitione; ut constat ex cap. *Jam literas, de testib.*, & ex cap. *Romana*, ubi recensitis tribus censuris, Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto, de sola Excommunicatione dicitur nunquam ferri posse sine monitione.

ARTICULUS IV.

De Suspensionis Effectibus, ejusque Violatione.

I. Suspensus a beneficio solum privatur ejus fructibus; & probabiliter non redditur incapax alterius beneficii. Universim Suspensus privatur usque Ecclesiastica potestate.

II. Violans suspensionem graviter peccat, nisi materia parvitas excuset.

III. Suspensio ab ingressu Ecclesie quid ferat? Et num ea contineatur sub censura Interdicti?

IV. Non possumus sine gravi culpa cum suspensio nominatim denunciato communicare in iis actibus, a quibus est suspensus.

V. Irregularitas non incurritur a violante suspensionem, nisi ea violenter per exercitium Ordinis majoris. Et quinam dicantur actus Ordinis Sacri?

VI. Actus jurisdictionis exerciti a suspensio nominatim denunciato sunt invalidi.

I. Certum est, Suspensionis effectus esse dumtaxat Privationem usus Ecclesiasticæ potestatis, seu officii, & beneficii, vel totaliter, vel partialiter, prout art. i. explicavimus. Quare suspensio non privat beneficio jam habito, sed tantum ejus fructibus; ac proinde tenetur Beneficiarius suspensus & officium recitare, & reliquis oneribus beneficii satisfacere; cum suspensio puniat, non relevet. Utrum autem suspensus reddatur inhabilis ad novum beneficium suscipiendum? Communis affirmant; sed probabiliter negatur a Suar. disp. 27. lect. 1., Pal., Laym., Con.; quia beneficii collationem suspensio ipso jure irritari ex nullo textu colligitur, et.